

PHILIPPO  
HISPANIARVM  
REGI CATHOLICO.

**S**I quid vñquam fuit in me industria, & spectata utcumque Eboræ doctrinæ, Rex potentissime, ingrati equidem animi reus haberi iure, ac merito possem, nisi Commentarios hosce meos, petitis à tua Maiestate auspicijs, communi hominum luce donarem. Postquam enim Serenissimi Regis Henrici auunculi tui felix ille animus in cælum, vnde ad nos venerat, euolauit: Eborensisque Academia indulgentissimi parentis aspectu, ac præsidio orbata, ad te, Rex optime, confugit, in tuo vultu, & singulari clementia acqueiuit, par erat, ac rationi maximè consentaneum, vt cui cætera deberi se fateantur, hic meus ab illa profectus labor dicaretur: Hanc siue, quantum mens antiquitatem respicit, maiores tuos tum Cæsares, tum Reges omnis memoriæ clarissimos animo reuoluam: siue tuam aduersus ingenuas artes beneuolentiam intuear: siue, quod omnium caput est, erga Deum pietatem, testatamque & factis, & Catholici cognomine obseruantiam considerem, omnia eiusmodi reperio, vt benè me de tua benignitate iubeant sperare. At de maioribus quidem tuis, iam ab ipsis Recaredis, qui tibi annorum serie antecedunt, egregie factorum gloria cedunt, quanto in honore, iuxta & amore liberales disciplinas habuerint, his litterarum angustijs prosequi, neque potero si uelim, neque uolam, si possim. Quippe qui uideo, planeque sentio hæreditario in te iure maiorum tuorum non imperia modò, sed laudes etiam, tamquam in Oceanum minora flumina confluxisse. Quod ad tuum ea de re iudiciũ attinet, nondum excidit è memoria, neque ulla fluentis æui diuturnitate excidet Eborensi Academiæ, nostraque Societati, quæ illius gubernacula tenet, immortale beneficium, quo, cum in vltiore[m] Hispaniam peragrata Lusitania reuertens Eboram lustrare uelles, nihil in urbe cum primis antiqua, & illustri, potius habuisti, quàm ut Academiam, religiosasque nomini Iesu dicatas ædes, nobile Henricianæ liberalitatis monumentum perhumaniter inuiferes, teque humanarum, diuinarumque artium parentem iucundissima præsentia tuæ luce declarares. Si enim Plutarchus maturo iudicio historiographus, laudi uerit Pompeio homini penè priuato adijisse Rhodi sapientiæ Gymnasium, cui non fuerit impedimento imperatoria grauitas, nomen, autoritas, quominus eximia facilitate illam doctorum hominum officinam ingrederetur: quid demum de tua humanitate dicendum est? quas tibi gratias si